

ORATIO
DILVCI
DE ET NOVE
QVOD AM MODO
explicans vetustam ac va-
riè agitatam quæ-
stionem,
AN IVRISPRVDEN-
TIA SIT ARS.

Conscripta per
DETHARDVM HOR-
stium F. Nordanum I. V.
Doctorem.

Lege, Intellige, Iudica.

MAGDEBVRGI
excudebat VVilhelmus
Ross, Anno 1576.

ORATIO
DILLON

DEPT. M. O. V.
NO. 104

Ad 104

AN INDEPENDENT
TRUST

COMPANY
INCORPORATED
IN THE STATE OF MASSACHUSETTS

104
MAGBREVING
INCORPORATED
MASSACHUSETTS

8°

104

NOBILI ET GE-
NEROSO DOMINO, DOMI-
NO SIGISMUNDO, LIBERO BA-
roni in Teuffenbach, Domino suo
clementi,

DETHARDVS HORSTIVS

I. V. Doctor

S. P. D.



DEO ÆTERNO, OPT.
Max. rerum omnium conditore, &
conseruatore, Nobilis ac Generose
Domine Baro, ita comparatum esse
uidemus, ut humana proposita, non
semper, quemadmodum animo concepta erant, ad
exitum perducantur, optatumq; consequantur euen-
tum: sed ex Diuina prouidentia, seu casu & acci-
denti, ut nobis sæpissimè uideatur, longe aliter ferè
omnia cedunt, quam nostra ferèbat uana & incon-
sulta persuasio: quod quidem, ut de me dicam vel
ex unico negotio, quod nuper mihi accidit, comper-
tissimum habeo. Statueram enim ante annos duos
tresue, uelle me propter multorum clarissimorum
uirorum, Professorum Marpurgensium, Præceptorum
& fautorum meorum colendissimorum, singu-
larem

larem ac summam beneuolentiam, omnem captare
occasionem, omnemq; quod aiunt mouere lapidem,
ut diu, imò si id contingere mihi posset, uel per to-
tum uitæ meæ curriculum, in inelyta Hassorum Aca-
demia, apud ipsos commorari possem. Postea ue-
rò præter animi priorem intentionem accidit, ut ur-
gentibus ipsorum fautorum meorum consilijs, Mara-
purgum relinquerem, atq; in illustrem hanc Iuliam
Academiam me conferrem. Discessus quidem ille,
propter fautores & amicos, quos dixi (qui sæ-
per dum uiuam mihi erunt charissimi) multis dolo-
ribus, multisq; animi anxietatibus, multò mihi fuit
& grauisissimus & tristissimus: attamen cum statim
post discessum meum pestis in tota Hassia ac Mara-
purgi etiam uehementissimè grassari ceperit, atq; ita
usq; iam grassari perrexerit: ut à discessu meo, ne
unica litera, ad tot literas, quas statim, simulatq;
huc ueneram eò ablegauit, quicquam mihi sit respon-
sum, imò dubius etiam relinquar, perieritne an ui-
uat adhuc is, qui à me ablegatus est: neq; ex illa
causa ausus fuerim hætenus alterum ablegare, agno-
scere cogor, non absq; Diuini numinis prouidentia,
ab illis colendisissimis meis amicis me abstractum, &
ex flagrantissimo illo pestis imminente incendio eres-
ptum. Ideoq; illud sæpe in mentem reuoco, quod
vulgato versu dicitur, Sic mihi cuncta cadant, ut
fert Diuina uoluntas. Neq; uerò parum illud me
refecit,

defecit, cum in inclyta hac Academia Iulia, pari hu-
manitate ac benivolentia me recipi uiderem. Sed
quid hæc commemoro utiq; & hanc orationem
quam nunc prælo committendum & publicandam
statui, tum, cum ea à me & quidem raptim conscri-
beretur, publiceq; hic recitaretur, nihil minus quam
hoc modo uel tam subito diuulgandam censui: atta-
men nunc certis rationibus persuasum, hoc est mihi.
Etsi enim non negem multis numeris difficillimam,
& intricatissimam esse questionem, Sitne iuris pru-
dentia pro arte habenda, nec ne? uarieq; à multis
agitam doctissimis uiris, atq; à me etiam ex parte
nouo quadam modo tractatam, nec meum. hac in re
iudicium aliorum suggillationes prorsus effugere pos-
se agnoscam, tamen pro commodo eorum, qui me
amant ac studio prosequuntur, aut si quis forte ad
alios etiam, uel exiguus fructus delectatiouè hinc
proficisci queat, publicandam hanc tenuerit operam
meam existimaui, Deo omnipotenti euentum recom-
mendans. Sub uestre autem clementiæ nominis
foelici auspicio, Generose & Nobilis Domine Baro,
ob id hanc orationem meam, in hominum conspe-
ctum prodire debere, aut motum, quod Clementia
uestra, cum eam è Cathedra publicè recitarem, ad se-
se non sit dedignata: tum quod & totus in hac Al-
ma Academia Iulia, clarissimorum eruditissimo-
rumq; Professorum Ordo, & tota Nobilium atq;

ignobilium studiosa cohors, quasi culmen & decus
Illustris huius Scholæ, Clementiam uestram amet &
ueneretur: utpote quæ non solum solenniores omnes
actus disputationesq; publicas, sed lectiones etiam
sua præsentia condecorare non dubitat: tum uerò
maximè quod Clement: uestra ad meas quoq; priua-
tas lectiones & disputationes accedere dignata sit.
Clementiã itaq; uestram, submissus rogo, ut ea animi
propensione, qua me hætenus amplexa est, etiam
exile hoc obsequij studiorum meorum testimonium,
ac leuidense munusculum recipere non grauetur:
& si quod Clementiæ uestræ uestrisq; studijs aut
commodis seruire posse uidebitur, Clementia uestra
quicquam in me esse putabit, id totum uestræ Cle-
ment: quocunq; tempore paratissimum promptissi-
mumq; futurum, certissimo sibi persuasam habeat.
Deus Ooptimus Maximus Clementiam uestram salu-
sam atq; incolumem conseruet. Helmstadij in
Academia Iulia, 5. id Decemb: Anno salutis 1575.

Clementiæ uestræ

submissus

Dethardus Horstius
Frisius.

DEO DVCE ET AVSPICE,

Etsi fateor, Amplissime Domine
Vicecancellarie, Magnifice
Domine Vice Rector, Genero-
se Domine Baro: Doctores &
Professores eruditione virtu-
teq; omnigena clarissimi ac conspicui, cæte-
riq; bonarum literarum & humanitatis stu-
dijs cultissimi: etsi inquam fateor, in orna-
tissimum hunc locum, priuilegijs Augustissimæ
Cæsareæ Maiestatis præclarè decora-
tum, munificentiaq; ac liberalitate Illustrissi-
mi Clementissimiq; Principis Nostri & Do-
mini Domini Iulij Ducis Brunsvicensis & Lu-
næburgensis, &c. Domini nostri Clementis-
simi, eximium, atq; in vestrum conspectum
hunc honoratissimum, acutissimo iudicio,
doctissimisq; auribus vndequaq; Lucidissimè
corruscantem, me non prorsus inuitum ve-
nire, tamen non de est etiam quod dum
in publicam hanc Cathedram pedem mo-
ui animum meum perturbat & angit.
Quo magis enim cogito quid requirat
loci huius splendor & eminentia quid fe-
rat iudicium vestrum acerrimum, eò
magis

magis vereor, quod neq; huic ornatissimo
loco satis digna, neq; eruditissimis vestris au-
ribus satis grata futura sit mea oratio, utpo-
te cum & ante hac in dicendo sim parum ex-
ercitatus, & nunc nescio quo fato alijs la-
boribus atq; occupationibus, simul ac in Il-
lustrem hanc Iuliam Academiam veni, prius
grauatus, postquam hisce defunctus essem,
dies tantum duos tresue præcidere potui,
quibus, cum de hac me oratiuncula, tum
de infecuturis prælectionibus publicis ali-
quid meditarer. Sed cum, ex multis mul-
tarnm rerum negotiorumq; argumentis, ve-
stra mihi iam perspecta sit humanitas, ve-
sterq; in iudicando candor & synceritas, in
ignoscendo æquitas ac facilitas, spero &
confido mihi quoq; humanitatem vestram
facilè veniam daturam, tanta temporis an-
gustia circumscriptus, ac continuum decen-
nium magis in Iurisprudencia, quàm in ora-
toriæ arte exercitatus, si in dicendo Vlpia-
num aut Papinianum magis quàm Cicero-
nem, vel interdum Accursium aut Bartolum
aut Tribonianum etiam magis, quàm Vlpia-
num imitabor: namq; in confesso hæc est,
quæ quotidie minus eleganter contexta, le-
gendo quasi contingimus, etiamsi caueamus
diligen-

disigentissimè, tamen fieri vix posse, quin aliquatenus etiam ignorantibus & inuitis nobis adhærescant, & instar picis contactæ nos inquinant, turpiq; ac indecente labe aspergunt. Vestra itaq; vt dixi humanitate facilitateq; fretus, cum ad publicorum meorum exercitiorum initia capienda, festinatò opus esse censerem, in mentem mihi venit, vt vetustam, ita optimam esse omnium Academicarum consuetudinem, quod in publicis huiusmodi conuentibus, & tali eruditorum hominum frequentia, de præstantia & dignitate liberalium Artium, in laudem ipsarum, dici aliquid soleat, pariterq; uobis omnibus me gratum facturum existimaui, si antequam ad prælectionem publicam descendero, in medium quid afferrem, quod ad eius doctrinæ, in cuius parte aliqua enarranda deinceps, pro ingenii mei mediocritate, operam nauaturus sum, commendationem spectaret. Quia tamen directò de Iurisprudentiæ dignitate & laudibus ideò mihi non dicendum esse arbitrabar, quod ad illos, qui iam de uocatione sua functio neq; publica sunt certi, magis id pertinere, & commodiori tempore, si ita Deus Optimus Maximus uelit, reseruari debere videretur, existimaui

aliam differendi materiam mihi eligendam
esse, quæ à Jurisprudentiæ laudibus non qui-
dem prorsus sit aliena sed vel parte aliqua sua
eius dignitatem ac præstantiam commenda-
re & ob oculos ponere queat. Quare cum
multoties tam à Jurisconsultis ipsis quàm ab
alijs doctis viris disputatum sit, An Jurispru-
dentia nostra sit pro Arte, an verò pro Sci-
entia & Noticia vel imperfecta & incon-
stanti Disciplina habenda? (quæ certè non
solum grauis & difficultate ardua, verumet-
iam, quia ad omnium disciplinarum fontes
abstrusissimasq; latebras sese refert ac pene-
trat, vtilissima ac iucundissima est disputa-
tio,) breuiter ostendere conabor, non scien-
tiam tantum & noticiam, vel imperfectam
atq; inconstantem disciplinam, sed Artem es-
se Jurisprudentiam, nec minus certè, Si non
magis, Artis liberalis nomine dignam, quàm
sit vlla alia, liberalis Scientiæ, perfecta & ab-
soluta disciplina. Sed hic antequam ad pro-
positæ questionis disceptationem accedam,
grauissimus statim obicitur scrupulus, diffi-
cillimusq; nodus, quem si prius exemero atq;
resoluerò, disputatio subsequens erit facili-
or, & reliquus orationis contextus expedi-
tior.

tior. Priusquam enim contendam an Iuris
prudencia Ars sit, exigat quis non immerito,
Artis constantem aliquam definitionem,
ex qua tum, de Iurisprudencia iudi-
care possit. Equidem, quid sit Ars, non vno
modo semper ab eruditis viris disputatum
esse video: placet tamen præ cæteris Artis
descriptio à Luciano, in Dialogo de Parasi-
to, memoriæ prodita vt & in hoc dubio ne-
gocio. pro more Iurisconsultorum id, quod
communiori calculo approbatum est, am-
plector. Artem itaq; ait Lucianus esse *οὐσκη-
μα ἐνκαταλήψεορ ἐγγεγυμνασμένων πρὸς
τι τελευτῆς ἔυχρσσορ τῶρ ἐν τῷ βίῳ*: comprehen-
sionem Præceptorum seu certarum pro-
positionum, exercitatione cognitarum ad
vnum exitum vitæ vtilem pertinentium.
Hanc Artis definitionem etiam Cicero se-
quitur & amplexus videtur: nam libro pri-
mo de Oratore ex Carneadis sententia sub
persona Antonij negat Cicero, Artem esse
vllam, nisi quæ cognitis penitusq; perspe-
ctis & in vnum exitum spectantibus & nun-
quam fallentibus rebus contineretur: & pau-
lò post sub persona Crassi, Ars, inquit, ita
definitur, vt paulò ante exposuit Antonius,
Cicero

ex rebus penitus perspectis planeq; cognitis,
atq; ab opinionis arbitrio sciunctis, scientiaq;
compræhensis : quibus verbis utiq; non ob-
scure Luciani sententia est expressa, quod
Ars sit compræhensio certarum & vniformi-
um seu correspondentium præceptio-
num, vsu & exercitatione cognitarum &
penitus perspectarum. Sed dicis constan-
tem hic non proponi definitionem, sed ali-
qualem tantum descriptionem, quia vera &
perfecta definitio constet Genere proxi-
mo & forma seu differentia vel proprio:
Atq; ex eiusmodi demum cuiusq; rei defini-
tione, verè & rectè desubiectis speciebus
iudicari posse. Concedo sanè & ex omnium,
vt credo, doctissimorum virorum senten-
tia fateri cogor, non quidem iuxta exquisi-
tam Dialecticæ subtilitatis rationem, Artem
istis verbis difinitam, attamen rem ipsam sa-
tis propositam & declaratam esse assero.
quod videlicet, Ars sit doctrina quæ cer-
tam aliquam scientiam informat : Artium
enim formale & proprium est scientiam in-
formare, sitq; ea scientiæ informatio, per
compræhensionem certorum præcepto-
rum, exercitatione cognitorum, & ad vtilem
vitæ finem spectantium : id quod Luciani &
Cicero

Ciceronis testantur descriptiones. Atq; vt
in præceptorum istorum noticia versatur
scientia, sic in eorundem compræhensione
& traditione Ars & Doctrina esse dicitur,
qua instructi sciamus, quomodo id, quod
Ars quæuis docet, sit ex equendum, cuius
etiam beneficio postq; crebris exercitatio-
nibus comparatus est habitus, coniunctis
quantum ratio instituti postulat, animi &
corporis viribus, id quod Ars docet, exe-
quimur ac præstamus. Quoniam verò Artis
proprium officium est præceptis scientiam
informare, ad aliquid secundum præscrip-
tum præceptionum efficiendum vel præ-
standum, accidit vt Ars non solum Doctri-
na, verumetiam Disciplina, Præceptio &
Institutio subinde appelletur. Verùm enim
vero hac vtiq; & non alia sententia Doctri-
nam & Disciplinam Theologicam, Iuridi-
cam, Medicam, Ethicam, Politicam, Oeco-
nomicam Physicam, Astrologicam, Geome-
tricam, dicere solemus: Hac vtiq; & non alia
sententia author, Rhetoricorum ad Heren-
nium Rhetoricam dixit Artem esse, seu Præ-
ceptionem quæ docet certam viam dicendi.
Hac vtiq; & non alia sententia Artem Rheto-
ricam Fabius Quintilianus Institutiones ap-
pellauit:

scientiam informat, aut vt loquitur Lucianus compræhensio Præceptionū certarum exercitatione, cognitarum ad vtilem finem in vita pertinentium: Atq; ex his nunc videamus perdiscursum, sitne Iurisprudentia etiam pro Arte habenda: Ars igitur dicitur Doctrina seu compræhensio Præceptorum illud cum sit primo loco ad Iurisprudentiam referendum, & applicandum, etiamsi vulgari ter tantum & perfunctoriè consideretur, non solum Doctrinam aliquam esse Iurisprudentiæ, manifestum fiet: verum etiam insignis præstantia in Doctrina & compræhensione Præceptorum Iuris relucebit. Quemadmodum enim reliquarum Artium singulæ, suas peculiare habent doctrinas, Grammatica de recte loquendi & scribendi ratione, Dialectica de differendi ratione Rhetorica de ratione bene & ornatè dicendi, Arithmetica de numeris, Geometria de quantitatibus mensuris &c. Sic & Iurisprudentia peculiarem Præceptorum vniuersitatem & compræhensionem, seu propriam & specialem Doctrinam amplexa est, docetque singulariter Ius rectè decernere, seu Ius ab iniuria discernere. Hic enim

pellauit: hac utiq; & non alia sententia etiam præclarissimi Iurisconsulti, Caius, Vlpianus, Paulus, Callistratus, Martianus, atq; ipse etiam Imperator Iustinianus Iuris Doctrinam generalem & primam Institutiones nominarunt: quid an non idem, quod nos paulò ante, penè eisdem verbis expressit Porphyrius, cum ait, Artem esse doctrinam finitam de infinitis. Finitam namq; doctrinam dicit, quia Artium fines præceptis terminantur, ad propositam scientiam informandam, spectantibus, hæc ubi plenè tradita fuerint, Arti vltima manus imposita erit. De infinitis autem dicitur finita Doctrina: Artium quippe præcepta generalia sunt & κατὰ πάντ' seu de omni, de infinitis singularibus seu specialibus concepta, & ad omnia singularem sua generalitate se extendentia: quo sensu & Iurisconsultus Nerarius in l. 2. ff. De iuris & facti ignorant: dixit, Ius finitum esse debet & potest. Cum itaq; ex Scientiarum informatione, Artes nunc Doctrinas nunc Disciplinas præceptiones, nunc Institutiones appellari manifestum sit maneat habeaturq; vera constans & certa, illius definitionis, quam ex Luciano iam retulimus, sententia, quod videlicet, Ars sit Doctrina, quæ certam aliquam scientiam

enim proprius est Iurisprudentiæ campus,
hæc propria ipsius palæstra & meta, hic
proprius ipsius thesaurus ad quem spectan-
tum & captandum amatores suos ducit &
allicit, quod doceat, in quouis propo-
sitocalu, quid iure aut iniuria fiat,
quid in Diuinis aut humanis rebus, in publi-
cis aut priuatis, in contractibus in vltimis
voluntatibus, deniq; quid in quibusuis ne-
gocijs Iuris quisq; habeat, quid etiam alteri
in alterum Iure facere liceat. Hinc Vlpianus
in L. iusticia ff. De Iust: & Iur: & Iustitia-
nus in Insti: eod. & in prin: dixerunt, Iuris-
prudentiam esse diuinarum atq; humanarum
rerum noticiam, Iusti atq; iniusti scientiam.
Idem etiam Vlpianus in L. I. d: tt: Ius Ar-
tem æqui & boni appellauit, cuius inquit
merito nos quis sacerdotes appellet: Iusti-
ciam namq; colimus, boni & æqui notitiam
profitemur, æquum ab iniquo separantes,
licitum ab illicito discernentes: bonos non so-
lum metu pœnarum, verum præmiorum
quoq; exhortatione efficere cupientes, ve-
ram non simulatam Philosophiam affectan-
tes. Certam itaq; Doctrinam, seu certam
præceptorum vniuersitatem & comprehen-
sionem habet Iurisprudentia in iuris deter-
minatione

minatione. Neq; verò contenta est Iurispru-
dencia ad instar aliarum Artium singularem
aliquam proponere doctrinam in Præcepto-
rum compræhensione, sed præcepta etiam
etiã eius peculiari nomine à sapientissimis vi-
ris sunt condecorata, idq; non sine causa.
Nam vt de Græcis tantùm & Latinis dicam,
Græci Iurisprudentiæ præcepta νόμους ap-
pellant, ἀπὸ τοῦ νέμειν, quia doceant lus su-
um cuiq; tribuere & æqualitatem seu Iuris
æquitatem, tenere ac conseruare: Latini ve-
rò leges vocarunt, quoniam Iuris præcepta
non temerè, sed vel naturali ratione & ab
ipso Altissimo Deo introducta sunt, vel sin-
gulari consilio & deliberatione hominum sa-
pientum constituuntur, vt id quod consti-
tutum fuerit, Reipublicæ sit utile ac saluta-
re: quo factum est etiam, vt in 12. Tabula-
rum legibus Romanis, nominatim sit adie-
ctum, SALVS POPVLI SVPREMA
LEX ESTO. Et quemadmodum Reipu-
blicæ salus perdelectum leges gignit & mo-
deratur, sic quod semel pro lege constitu-
tum est, id omnia Reipublicæ membra ser-
uare, & secundum id viuere tenentur, aut si
quis volens & lubens, obedientiam non præ-
stet, metu pœnæ coercetur vt Vlpianus iam

thoritate Magistratus tantum obtinens.
Paulo ante indicauit. Sic enim propter de-
lectum à legendo Leges dictas testatur et-
iam Cicere lib. 1. de Legibus. Et quia sanctè
obseurari, neq; violari debent, cum consti-
tuuntur, sanciri dicimus leges, legisq; virtus
dicitur, imperare, vetare, permittere, pu-
nire, L. legis virtus ff. de Legibus. Patet
itaq; non solum ratione Doctrinæ seu ex
Præceptorum comprehensione Artem ap-
pellari posse & debere Iurisprudentiam ve-
rùmetiam præcepta ipsius propter singula-
rem delectum, in constituendis ñs adhibi-
tum, propter grauissimam iustissimamq; iu-
ris & æquitatis assertionem, auctoritatemq;
ac parendi necessitatem, Singularem nomine
digna esse reputata. Sed heu nunc illud
occurrit, ob quod, an Iurisprudentia Ars
dici possit, non frustra aliquis nec leuiter, ve-
rum cum multis doctis viris meritò magno-
perè addubitauerit: nimirum, quia certa &
constantia esse debent Artium præcepta.
Quemadmodum de Rhetorica ambigit &
disputat Cicero 1. de Oratore, possitne ea
Ars appellari? cum somnia, quæ tranctan-
tur ab Oratoribus dubia sint & incerta, cum
dicantur ab his, qui ea omnia planè non te-
nent, & audiantur ab ñs, quibus nec scientia
sit

fit tradenda, sed exigui temporis, aut falsa,
aut certè obscura opinio: ita multo magis
de Iurisprudencia dubitatur, an Ars appel-
lari possit, quia Ius non natura, sed opinio-
ne magis constare, magisq; incertas et fluxas,
quàm certas & stabiles Leges Iurispruden-
tia habere videtur: Sed de Rhetorica Iatius
suo loco Cic. & qui volent vbi commodum
erit viderint alij: Nos nunc de Iurisprudencia
nostra peculiariter videamus. Dandum sanè
atq; confitendū omninò est, prout in hac cor-
rupta natura Ius & Iurisprudencia sese ha-
bent & agnoscantur, non omne Ius natura,
sed aliquod etiam opinione esse constitu-
tum: Hinc enim Lex, aut Naturalis, aut Po-
sitiua: & Positiua rursus, aut Gentium, aut
Ciuisilis esse perhibetur: quia aut natura Lex
constituatur, aut positionibus gentium vel
Ciuitatis seu singularis alicuius populi. Quæ
natura introducitur, hæc certis firmisq; &
stabilibus honestatis et Iusticiæ præceptis ni-
titur, ideoq; vna & eadem semper est mutati-
oni non obnoxia, legisq; nomine verè & pro-
priè digna: quæ verò positionibus introdu-
citur, probabili tantum ratione, & ita ma-
gis opinione nititur, quo fit vt non semper
sibi sit conformis, sed accedente alia opi-
nionè, facilè mutetur, Legis nomen ex au-

Ius itaq; cum vel Naturalibus legibus vel Po-
sitiuis constituatur, ex illis & nomina & vi-
res induit, vt Naturale Ius, legibus Natura-
libus ex præceptis honestatis & iusticiæ san-
ctum, instar legum Naturalium, semper va-
niformè stabile & certum sit, Iuriscq; nomine
verè & propriè dignum: Positiuum autem
tantum probabili ratione & opinione ex le-
gibus Positiuis suffultum, instar Positiuarum
legum non semper sibi sit consentaneum, sed
facilè rursus tollatur & abrogetur Iuris no-
men tantum ex authoritate magistratus ob-
tinens: id quod dilucidè & eleganter expres-
sit Iustinianus Imperator in ff. sed naturalia
L. de Iure nat: Gent: & Ciu: Naturalia qui-
dem iura, ait, diuina quadam prouidentia
constituta, semper firma atq; immutabilia
permanent: ea verò quæ ipsa ciuitas con-
stituit sibi, sæpè mutari solent, vel tacito con-
sensu populi, vel postea alia lege lata. Neq;
tamen absolutè Iurisprudentiam in Natura
aut Opinione nos collocare, aliquis existi-
met: quid enim magis esset ineptum ac fal-
sum: quid magis absurdum & ridiculum:
sed hoc vt & S. iudicauimus dicere volumus, Iu-
risprudentia, prout in corrupta hac Natura
& inter peruersissimos hosce hominum mo-
res

res relucet, & est constituta, non manet vn̄
dequaq; in terminis illis & legibus à natura
integriori proditis, sed vbiq; ferè gentium
admiscentur leges aliquæ positiuæ, quarum
tamen pleræq; certis probabilibus rationib9,
ab honestate nõ omninò dissentaneis, subni-
xæ sunt: & certè si temporis id ferret angu-
stia, nostriq; instituti ratio, in Romana Iuris
prudencia demonstrari posset, eam ad leges
naturales veramq; & constantem Iurispru-
dentiam, per omnia ferè & diligentissimè re-
uocatam. Quid quod Ius magis ex nostro-
rum ingeniorum imbecillitate, nostraq; igno-
rantia seu inepta ac peruersa applicatione et
interpretatione, quàm per se: & constitui-
one sua est dubium & incertum, quia præ
caligine mentis iudicijq; nostri infirmitate,
id quod Natura vel recta ratio constituit,
non videmus neq; intelligimus, aut ad pro-
positas facti Species rectè accommodare
non possumus, vel non didicimus. Enimuerò
Ius Naturæ semper certum est, licet ex pri-
morum nostrorum parentum lapsu imbecil-
lis intellectus noster non semper id capiat,
neq; intelligat, & miseri homunculi sæpè in-
genij iudicijq; insignem præstantiam, quæ in
sapientissimo ille fuit & diuino Solomone,
non sine causa & grauissimo dolore nobis

exoptemus. Sed & Ius Posituum, quatenus naturali adhucitur, ac nunquam per se totam Iurisprudentiam explet, præceptis generalibus vndequaque certum esse potest, quamuis in intellectu & interpretatione applicationeque ipsius, rursus propter iudicij nostri tenuitatem, non raro subsistamus, sicut de fertissimis verbis Iurisconsultus Neratius testatus est, in lib. 2. ff. de Iuris & facti ignorantia. Ius, inquit, finitum esse debet & potest, licet facti interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallat: quæ verba iam antea ex parte retulimus: nostrorumque suffragia commendauimus. An itaque, quia Ius hoc modo nobis aliquando est incertum & dubium, Ius magis opinione, quam natura constitutum esse censeretur? Labet sane & iuuat ex ipsa Iurisprudentia huic nodo difficillimo resolutionem quaerere. Didici equidem in Iurisprudentia, quod & Iuris Tyronebus ferè constat, Ea, quæ per rerum naturam certa sunt, non habenda esse pro incertis, etiamsi apud nos sint incerta, veluti Spopondi decem sub hac conditione, si Titius præterito anno consulatum gessit: simulatque enim stipulatio interposita est, promissioque ita facta, certa est: & constat

stat obligatio, ex eo quod, Titius Consul
fuerit, etiam si ego & tu, vel plures etiam
ignorauerunt Titium Consulem fuisse. textus
singularis in §. conditiones L. de verb: obli-
gat: fa: Lex conditio ff. eo: tt. & l. cum ad
præsens iunctis 2. sequent: ff. si certum pe-
tatur. Neq; verò id solum in Iurisprudencia,
sed in alijs quoq; honestis & liberalibus di-
sciplinis obtinere autumo: Quid enim, et-
iam si quis dubitaret liceatne sibi pro liber-
tate Christiana vesci his, quæ idolis Genti-
um sunt immolata, an ob id doctus dubita-
ret Theologus: an ob id hac parte incerta
esset dicenda Theologia: quid si aliquis ig-
noraret, quomodo ex Metaphorarum con-
tinuatione conficiatur & constet Allego-
ria, num bono Oratori & Rhetori etiam
statim id incognitum: & num ob id Rhe-
torica incerta erit dicenda: quid si non pu-
tet quispiam, solem magnitudine sua ter-
ram vel exæquare, nedum superare, num
ob id faller dubiaq; habebitur exactissima
certissimaq; Mathematici supputatio & de-
monstratio: num propterea, Astronomia
incerta & vana dicetur: ineptus utiq; et sto-
lidus cunctorum iudicium, explisoneq; dig-
nus iudicabitur, qui vel hæc, vel similia de his
aut alijs Disciplinis & Artibus asserere vellet.

Sed heus, an non illud, quod de Iuris Positi-
ui inconstantia & mutatione dictum est. alijs
quoq; liberalibus Artibus & Disciplinis vsu
venire existimas: cogitate quæso, quantum
à vetusta Romana lingua differt ea puritas
& elegantia latini sermonis, quæ Ciceronis
ætate viguit: quantum rursus postea isti ele-
gantix & perfectioni decesserit: imò verò
quanta sit etiam hodiè inter Grammaticos
latinos disceptatio in multis articulis: Cogi-
tate quæso, quàm multis partibus formetur
& reformetur quotidie Dialectica, Rhetorica,
Arithmetica, Geometria, Astronomia,
Medicina, omnesq; adeò liberales Disciplinae:
imò verò si & hoc dicere licet, quantis
opinionum & errorum fluctibus aspergatur
& aggrauetur ipsa Theologia. Non potest
igitur negari omnium omninò Artium &
Disciplinarum, ex primorum nostrorum Pa-
rentum transgressione, communem hanc esse
se inconstantix & obscuritatis in nobis maculam:
licet Theologia fortius sese vendicet, & quia
Authorem vitæ ac luminis respicit, tenebras respuat,
nesciatq; subiacere defectui, vt elegantissimè loquitur
I. inter claras G. i. c. de summa Trinitate & fide
Catholica. Ideoq; regula illa pulcherrima à Iuris
interpretibus tradita in L. quæritur ff.

De

De statur hom: híc erit arcienda, quod
videlicet, vnaquæq; res ex maiori & potio-
ri parte sit denominanda & definienda, ac
consequenter, ad exemplum aliarum Arti-
um, etiam Iurisprudentiæ, opinionis incon-
stantiam Iudicijq; nostri caligionem, non
obitare dicemus, quo minus cum alijs hone-
stis disciplinis, Ars dici queat. Atq; hæc qui-
dem paulò copiosius prosecuti sumus, ad
conuincendum errorem illorum, qui simpli-
citer existimant, non natura, sed opinione
constitutum esse Ius: nam vt præclare Mar-
cus Cicero lib. 1. de Legibus scriptum reli-
quit, omnium, quæ in doctorum hominum
disputatione versantur, nihil omninò est
præstabilius, quam planè intelligi, nos ad lu-
lticiam esse natos, neq; opinione, sed natura
ius esse constitutum. Nunc verò, quod in
Artis descriptione exigitur vt Artium præ-
cepta exercitatione sint cognita: hic rursus
Iurisprudentia alijs Artibus non tantùm æ-
qualis est, sed longissimè etiam eas superat:
Quod enim paulò antè meminimus, Theolo-
giam Authorem habere conditorem vitæ
& luminis, id est, ipsum Deum, idem pari-
ferè dignitatis gradu Iurisprudentiæ nostræ
meritò accommodatur. Nam & huius artis

præcepta, non tantum usu sunt reperta, ex-
ercitationeq; cognita, sed ab ipso Deo pro-
posita, quippe Deus, non tantum vt alia-
rum Artium officinam, sic Iurisprudentiæ
quoq; arculas in mente humana statim in
prima hominis creatione collocauit, sed ipse
quoq; Deus, postquam hominem condidisset,
ad imaginem suam, & omnis generis sa-
pientia ipsum informasset, Ius constituit ho-
mini, cunctaq; quæ manibus suis quomodo-
cunq; comprehendere posset, subiecit ipsi
ius potestati, dicens, replete terram, & subie-
cite eam vobis, & dominamini piscibus ma-
ris, & volatilibus cœli, atq; vniuersis ani-
mantibus, quæ mouentur super terram: de-
di vobis omnem herbam afferentem semen,
& vniuersa ligua quæ habent in semetipsis
sementem generis sui, ut sint vobis in escam.
Ecce ergo hæc & prima est, & antiquissi-
ma, & nobilissima, & certissima Iuris funda-
tio: hæc & prima est, & antiquissima, &
Nobilissima, & certissima de Iure lex, imò
verò ipsum Ius, & primum, & Antiquissi-
mum, & nobilissimum, & certissimum, quo
nullum prius, nullum antiquius, nullum no-
bilius, nullum certius. Huic autem primæ
legi adiecit Deus optimus Maximus alte-
ram, ne videlicet homo ad custodiam &
operas

operas in Paradylum voluptatis deductis,
vesceretur de ligno scientiæ boni & mali:
quam legem, cum transgressi essent primi
parentes nostri, iudicium Deus cum ipsis
instituit, ac suo etiam exemplo ostendit,
quomodo inter homines ipsos iudicium sit
formandum. Neq; verò ex hisce tantum
legum & Iuris præclarissimis initijs, vi lucis
in mentibus humanis post lapsum ad huc
reliquæ, propagata fuit per Diuos patres Iu-
ris prudentia, sed ipse Deus rursus Diuina
voce, statim, post diluuium, primam illam
Iuris sanctionem, vt in corruptelis etiam
hisce grauissimis, ea rata haberetur repeti-
uit. Nec ita multò post magnificentissi-
mo apparatu stupendoq; modo cum po-
pulum suum posteritatem Israelis ex Ægyp-
to deduceret in Monte Synai totam Iuris-
prudentiam asseruit: (de politicis consti-
tutionibus & Iuris Præceptis seu legibus
loquor, a quibus Ius Romanum non vsq;
adeò dissidet.) Quin imò & Saluator re-
demptorq; noster Christus Dominus, dum
in terra cum hominibus versabatur, mul-
tas Iurisprudentiæ leges de Diuortijs &
repudijs, alijsq; multiplicibus quotidia-
nis negocijs repetiuit ac renouauit.

An

in vero non Diuino præclarissimoq; legum
fulgari vllius Artis præcepta comparari pos-
se quisquam arbitrabitur? nihil certè esse con-
fitebimini quod huic splendori præcepto-
rum Iurisprudentiæ conferri aut opponi
posset ex alijs honestis disciplinis, sola, vt
ante memini, Theologia excepta. Dignitate
ergò Præceptorum, non tantum par est, sed
longissimè vincit quoq; Iurisprudentia reli-
quas liberales Artes & Disciplinas. Pariter
autem vtilitate Præceptorum superat Iuris-
prudentia cunctas Artes, præter Theologi-
am: omnes enim Artes imò ipsa etiam quo-
dammodo Theologia, sub Tutela & prote-
ctione, quasi sub alis, sunt Iurisprudentiæ.
Hæc quippe iuris sua informatione efficit, vt
Artes omnes liberè doceantur, discantur &
exerceantur: hæc facit, vt & Theologis, &
reliquarum Artium Antistitibus, imò verò
omnibus omninò hominibus honestæ suæ
occupationes liberæ sint, suaq; bona salua
& incolumia. Quomodo enim Theologus
Religionem docere? quomodo reliquarum
Artium Antistites suam doctrinam propa-
gare? quomodo Magistratus Ciues de-
fendere & coërcere? quo modo priuatus re-
bus & fortunis suis vti posset? si non Iuris-
prudens

prudentiæ moderamine omnes adiuuentur.
Expendito enim: si nou statueret Iuris-
prudencia pœnam in fures, in raptores, in
corruptores, & contrafactores, in Iniuriosos,
in plagiarios, in fornicatores, in adulteros &
stupratores, in veneficos, in homicidas &
sicarios in Sacrilegos & pécultores, in vio-
lentos & publicam tranquillitatem turban-
tes, in maiestatem Imperatoriam lædentes,
aliosq; omnis generis maleficos & facinoro-
sos, quæ Respublica & quæ domus & quis
Ciuis aut incola saluus esse possit & Expen-
dito si Ius non dicatur patris: in bonis ipsi-
us, quis tandem cum fructu & commodo
suo res suas habebit & possidebit & quis vte-
tur frueturq; h̄s, quis vel vltima voluntate
vel contractu inter viuos, eas earumue vsum
vel fructum aliquem alienabit, si non Iuris-
prudentiæ adiuuentur beneficio: imò verò
ponite, in vnico emptionis & venditionis
contractu Ius non dici, quanta ilicò existe-
ret perturbatio & quantæ molestiæ ac mise-
riæ & quàm infinitæ & ineffabiles ærumnæ
& angustia: Hæc igitur & similia si vel leuissi-
mè ita in considerationem veniant, satis di-
lucidè apparebit, non tantùm vulgari modo
ad vtilem sinem in vita spectare præcepta
Iuris

Iurisprudentiæ, sed absq; hac, nulli Arti lo-
cum esse, nec quemquam, id quod suum, est,
retinere & asserere posse. At illud iam alicui
in mentem veniat, si ex tam firmissimis præ-
stantissimisq; , ac certissimis argumentis &
rationibus Iurisprudentia Ars dici potest
tantoq; splendore & dignitate reliquas libe-
rales Artes antecellit, cur igitur à præclaris-
simo Iurisconsulti Domino Ulpiano lib. Re-
gularum, pro vt referuntur verba ipsius in
L. penult: §. fin: ff. de Iust: & Iure expres-
sitq;, eadem Imperator Iustinianus in Iust: si-
is i. i. de Iust: & Iure in prin: cur inquam ab
Ulpiano Iurisconsulto & Iustiniano Impera-
tore ita sit Iurisprudentia descripta, quod
dicatur, Diuinarum atq; humanarum rerum
Noticia Iusti atq; Iuiusti Scientia: Vach,
vach, moues, certè moues difficillimum,
grauissimumq; scrupulum, ducis inquam,
ducis in labyrinthum inextricabilem, atq; in
periculum ter maximum: Quod si ac-
cedere dubioq; euentui me committere non
reformidem, etiamsi foelicissimo Dedali in-
genio acerrimoq; iudicio præditus essem,
tamen & Ariadnes fidelissimo fortissimoq;
filio, & cœlestibus alis, ad exitum reperien-
dum,

dam periculumq; effugiendum, opus fuerit.
Ferocissimum enim truculentissimumq; mihi
hi videor aspicere centaurum, cum recor-
dor quam sæpè hic substiterim, quoties co-
nabor indagare, quidnam propriè sit Ars &
quomodo ab Arte discernenda Sapiencia,
Noticia, Scientia, Doctrina, Disciplina &
cum recordor quàm sæpè contristatus sim,
super humani ingenij tenuitate, infirmitate-
que, quoties in mentem mihi venit, tot secu-
lis de Sapiencia, de Artibus, de Noticijs, de
Scientijs, de Doctrinis, de Disciplinis di-
sputatam tractatumque esse, neque ta-
men hæc, quæ primùm & antè omnia pa-
tere debuerant satis distincta esse, sed
ita sermonis proprietate inuoluta & con-
torta, vt quid quodque vocabulum pro-
priè ac speciali ter denotet, vix, ædipus
aliquis enarrare posse videretur: Quip-
pe Sapiencia Scientiæ vocabulo, quasi Ge-
neraliori, definita est: Scientia autem
& Ars vocabulo Noticiæ: imò nonnun-
quam Sapiencia & Ars exquantur: &
rursus vocabulas Artis & Scientiæ pro-
miscuè vsurpari dicuntur. Perpauci
admodum Artem esse Doctrinam senserunt,
& expres

& expresserunt: quæ sententia idè etiam
pauciores applausores inuenit, quia quò re-
ctius intelligeretur, promptiusq; & auiden-
tius susciperetur, oportebat habitus intelle-
ctus suprâ memoratos, eorumq; effectus ple-
nè perfecteq; inter se distingui. Ita certè fa-
ctum est, vt licet sæpissimè, tamen non sine
grauissima causa cohorterim, quotiescumq;
in tricas has inextricatas verò inextricabiles
incidi. Cum igitur omne multiplex, non re-
ctè distinctum, pariat obscuritatem, Obscu-
ritas gignat opiniones & errores, atq; ex his
deinde innumera, alia mala proueniunt, sicut
dici solet, Dato vno inconuenienti, sequun-
tur infinita: Distinctio autem commoda &
concinna nihil non planum & perspicuum
faciat, commodiusq; & rectius sit, singulas
res vel causas, singulis proprîisq; appellationi-
bus enarrari, diligentius paulò de proprie-
tate & apta veraq; distinctione istarum vo-
cum mihi cogitandum esse duxi: atq; vt alijs
quibus & plus ingenij est, & plus temporis,
diligentius medicandi de his rebus, occasio-
nem præstem, id quod mihi, pro ingenij mei
tenuitate Diuinæq; Clementiæ modulo in-
cidit, tenuiter & liberè depromendum cen-
seo. Sed vt rem, ab origine sua paulo altius
repe-

repetam, vulgatum quidem illud est, quod
Habitus, sint aut corporis, aut animi: & ani-
mi Habitus, aut Intellectus, voluntatis: rur-
sus autem habitus voluntatis aut boni aut
mali. Certè posterius illud latius extendi de-
bere autumo, non solum enim habitus vo-
luntatis boni aut mali sunt, verumetiam ha-
bitus Intellectus: imò habitus etiam corpo-
ris, licet in habitus voluntatis bonitas & ma-
litas præcipuè eluceſcat, sicut & boni & ma-
li ex his æſtimari diciq; solemus. Cum verò
aut Generaliter seu Vniuersaliter, aut Specia-
liter seu singulariter habitum consideremus,
fit vt vniuersaliter aut generaliter bonus ha-
bitus intellectus appelletur Sapiencia. Vni-
uersaliter seu Generaliter bonus habitus vo-
luntatis appelletur virtus seu honestas. Con-
tra autem malus, habitus Intellectus genera-
liter appellatur Sophistica: malus habitus
voluntatis vicium dicitur. Specialiori verò
consideratione bonus habitus intellectus seu
ſapiencia, vel simpliciter in intellectu residet
vel externa aliqua efficiendi facultate sese e-
xerit: quæ simpliciter in intellectu residet,
hæc noticia est, aut ſcientia. Noticia certa-
rum & incertarum, seu constantium & in-
constantium propositionum habet cogniti-
onem & intellectum, atq; ita etiam opinio-

num seu errorum & rerum Gestarum: Scientia verò, certarum constantium seu Demonstratarum: quemadmodum scire dicitur esse rem per causas nosse. Quæ verò externa efficiendi facultate se exerit, aut in docendi, aut in alia singulari, faciendi facultate relucet: vt autem exterius nihil facit seu efficit singulariter sapientia, absq; corporis ope & auxilio, sic etiam docendi facultas non solum instrumento vocis vel scripturæ, atq; ita oris vel manuum vtitur, Sed vtrumq; etiam ex Noticia, vel Scientia, tanquam ex causa proficiscitur: sicut sapientis efficiendi habitum is habere dicitur, qui prius simpliciter nouerit vel sciuerit: & in docendo singularis dicendi sapientia quoq; requiritur, & docendi autem, & singulares sapientes faciendi Facultates, Artes nominari solent. Sed & effecta horum habituum Doctrinas & Artes vel Artificia appellamus: atq; solet hic ab Habitibus, ad Habituum effecta, hoc modo ferè transitus fieri. Doctrina aut vniuersalis est, aut singularis: Vniuersalis Cyclopædia appellari consuevit: Singularis aut singulari aliquam & in suo genere perfectam & absolutam sapientiam informat: Eaq; communiter Ars etiam dicitur, Aut imperfectam scientiam vel aliqualem tantum Noticiam infor-

informatur: eaq; vel ex Singulari scientiæ parte, in qua enarranda & informanda versatur, Singulare nomen accipit, vel ex rerum gestarum commemoratione Historia nuncupatur. Hinc igitur nunc patet, quomodo Iurisprudentia, Scientia vel Noticia vocetur. Verumenimvero, cum Noticia vel Scientia dicitur, respectus non habetur ad Doctrinam seu Artem, quæ singularem scientiam Iuris informat, sed ad cognitionem iuris & instructum sapientis intellectum. Solemus autem, ac debemus etiam, in Artium informandarum ratione, non cognitionem, sed ad Doctrinam respicere. Et si enim docere nemo possit, nisi qui prius simpliciter noverit vel sciat, tamen cum detraditione sapientiæ vel noticiæ, per præceptorum collectionem & enarrationem, loquimur non illud simpliciter attendimus, quid quis sciat vel noverit, sed quid, quomodo doceat: ita quippe, supra ex Luciano retulimus, Artem esse comprehensionem Præceptorum, non ad habitum noticiæ vel scientiæ, neq; ad efficiendi habitum, sed ad horum effectum ad Artium scilicet & doctrinam respicientes: Ideoq; cum comprehensio Præceptorum, Noticia vel scientia nominatur, ut causam pro effectu sic Noticiam & Scientiam pro Arte seu

Doctrina, dici & accipi intelligimus. Neq̄
verò infrequens aut nouum videbitur Do-
ctrinam Iurisprudentiæ ita Noticiam & Sci-
entiam appellari: pari enim vel eadem ratio-
ne, Scientiam & Artem vocabulo Noticiæ
declarari videmus, atq̄ Scientia dicitur, No-
ticia vera conclusionum, quibus propter de-
monstrationem assentimur: Ars autem dicitur
Noticia vera faciendorum seu fabrican-
dorum: imò verò Artis ac Scientiæ vocabu-
la promiscuè vsurpari, & pro eodem accipi
traditum est, cum tamen proprius aspicien-
do, hæc longè aliter se habere noscantur, si-
cut ex his, quæ iam deduximus, satis patet.
Vnum adhuc restat, an Ars liberalis dici de-
beat Iurisprudentiæ: & hoc nomine, quo lo-
co habenda: id quod paucis etiam expedi-
am, sed prius verbo vno aut altero liberali-
um & illiberalium Artium discrimen erit re-
petendum. Liberales itaq̄ Artes, teste Cice-
rone lib. 1. officiorum dicuntur, quibus aut
prudentia maior inest, aut non mediocris
quæstus: Contra illiberales, quarum opera
magis spectatur, quàm artificium, & quarum
vilis est quæstus. Quæ enim magis ingenio,
quam laboribus, ad effectum perducuntur,
scientiamq̄ rerum æternarum & immobili-
um informant, hæc meritò digniores & libe-
raliores

raliores habentur, illis, quæ laboribus corporis, & vili opera non ingenio effectum sortiuntur, neque rerum æternarum & immutabilium cognitionem informant. Quanto igitur ipse animus seu mens & ratio hominis corpore potior est, tanto liberales Artes præstantiores existimantur illiberalibus. Nunc verò Iurisprudentia etiam hac parte alias liberales Artes longè antecellit: non enim communi aut vulgari acumine ingenii iudicium contenta est Ars nostra, sed propter casuum & circumstantiarum infinitam & ineffabilem varietatem, diuinum quoddam sagacissimi animi iudicium requirit, ut, quod superius commemorauimus, non immeritò nec sine causa dixisse videatur Iurisconsultus Neratius, facti interpretationem, interdum, etiam prudentissimum fallere posse: atque ita factum est, ut ex singulari, ad eam discendam & tradendam vel exercendam, requisito Iudicio ingeniique acumine, Ars nostra nomen præclarissimum acceperit, & Iurisprudentia sit appellata. At verò longè vberrius esse Iurisprudentiæ quæstus, per se magis notum est, quam tenuis orationis nostræ filium declarare & ostendere posset, ac iam antè etiam ex parte demonstratum est, quàm copiosissimos multoque sa-

Iuberrimos fructus, cum toti humano generi, tum singulis rebus publicis Iurisprudentiæ impartiat. Neque etiam animi viribus simpliciter hæc Ars exercetur, sed quemadmodum supra satis est demonstratum, in Scientia quoque rerum æternarum fundatur, in Iure videlicet ac Iusticia, quæ teste Aristotele 5. lib. Ethicorum omnium virtutum est præstantissimum, seu ut Cicero lib. 3. officiorum retulit, virtutum omnium Regina: cui ut censet Euripides, ne quidem matutina aut vespertina stellarum claritas satis dignè comparatus: Proindeque ex his nunc, Iurisprudentiam singulari quoque honestatis seu liberalitatis utilitatisque præstantia præfulgere, satis superque est conspicuum & manifestum.

Cum itaque Iurisprudentia nostra, non tantum in comprehensione præceptorum, exercitatione cognitorum, & ad utilem vitæ finem spectantium, certam aliquam & singularem scientiam doceat atque informet, verum etiam præcepta contineat, à Deo in prima creatione menti humanæ impressa, & deinde Divina voce statim in Paradiso repetita, atque exemplo formidabili confirmata, pariterque in monte Sinai etiam stupendo modo populo Israëlítico commendata: quibus etiam nullius Artis præcepta multiplicitate

tate atq; vtilitate compri possint: quæ
honestatis quoq; ac iusti singulari funda
mento reliquarum Arti præcepta longè
antecellant, indubitanter statuendum asse
rendumq; est, Iurisprudentiam esse Artem li
beralem, omnium ferè arum liberalium
Artium præstantissimamtilissimamq; De
usq; Opt: Maxim: Pat Domini nostri Ie
su Christi, supplicibus ardentibus votis
implorandus est, vt cum mine Religionis,
reliquarumq; bonarum Aium, lucem etiam
aliquam Iurisprudentiæ, esq; studia, in cor
ruptissima ac deprauatissima hac vltima
mundi senecta, Clemeter propa
gare & conseruaredig
netur.

F I N I S

Soli Deo gloria.



cu

ra


ia


[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]


2117


[Faint, illegible text]














57.

Ad 104

1016A

ter. quinescit occasum; ille qui
iano geneti serenus inluxit. p
os famulos suos omnemq: deru
ulum. una cum pace nro papa
concessa in his paschalibus ga
nentis. p. **O RATIO EXTERIOR**
cede diabole ab hac imagine dei
locum spūsc

certi ablatione

promissoria

libus apum: sacro scilicet reddit exacta Sedra

is preconiā nouimus quam in honorem dei: vni

ignis accendit. Qui hoc diuisus in partes: mutua

inim' detrimenta non nouit. Miter liqueribus aris:

in substantiam prenosce huius lampadis: apif mater

rix: Apif ceteris que fabricata sunt homini: animari

ante cellit: cum sis minima corporis prauitate:

inest animas angusto uersat in pectore. Viribus

Nullis sed fortis ingenio: haec explorata temporū

cum caracem: primum sibi berna posuerunt & sola

moderata deorsum suam

moderata deorsum suam